



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

VII. Episcopi in Cocilio Triburiensi congregati hunc agendi modum
damnarunt in aliquibus Episcopis sui seculi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

mam familiam, mille & quingentis per Angliam equitaturis vehebatur, ut docet Matthæus Parisius.

IV. Nihil modestiores erant ceteri Legati, nihil eorum omittentes quæ ad pompam ac fastum & ad comparandas divitias pertinebant. Quare necessarium fuit Innocentio tertio maximo & doctissimo Pontifici, qui sedi apostolicæ præfedit paulò post casum Episcopi Eliensis, justis provincialium querelis satisfacere & modum aliquem ponere ambitioni & avaritiæ Legatorum. Scribens igitur ad Primicerium & Clerum Mediolanensem, qui procurationem solvere recusaverant Bernardo Tituli sancti Petri ad vincula Presbytero Cardinali & apostolicæ sedis Legato, declarat quidem omnes Ecclesias teneri ad impendendum procuraciones Legatis & Nuntiis apostolicæ sedis, & ab earum præstatione nullam prorsus haberi posse excusatam, nisi fortè per speciale privilegium sedis apostolicæ sit exempta; sed tamen eodem tempore procuraciones illas restringit ad necessaria, *predicto Cardinali vel potius nobis in ipso contumaciter resistentes, necessaria denegastis, & neminem ex ea præstatione vult indebitè prægravari. Sanè in his exigendis, inquit, eum modum & ordinem volumus observari, ut nulla Ecclesia vel Prelatus se indebitè prægravari rationabiliter conqueratur.*

V. Orta erat tempestas illa in Ecclesia Mediolanensi ex contumacia Canonicorum & quorundam ministrorum illius Ecclesiæ quos Ordinarios vocabant. Hi cum se longa possessione tuerentur ne procuraciones Legatis præstarent, ex eoque ceteri Clerici onerarentur, propterea quòd Legati sæpe illac commeabant, quibus necessariò præstanda erat procuratio, eò usque incaluit contentio, ut dicerent ceteri non soluturos se procuracionem nisi priùs eam Canonici perfolverent & nisi etiam Ordinarij parte illos oneris, ut æquum erat, sublevarent. Nam procuratio imponebatur à Legato quæ universis cujuslibet dioceseos Clericis incumberet, singulis autem portio sua cuique solvenda injungebatur ab iis quibus ea res committebatur in unaquaque diocesi. De ea re scribit Innocentius ad Abbatem de Cerreto, cui causam committit, simulque decernit quæ in posterum observanda essent. Sed antequam verba ejus referamus, necesse est proponere lectori fontem & originem tot malorum, frequentiam nimirum legationum. *Cum enim per civitatem ipsam, inquit Innocentius, sæpe contingat transitum facere nostros Nuntios & Legatos, quanto in eorum procuracionibus faciendis pauciores existunt, tanto facientes amplius prægravantur, & quanto per plures onus esset procu-*

rationis divisum, tanto à facientibus facilius portaretur. Tum commendata sollicitudine sua pro omnibus Ecclesiis curaque sua pro Ordinariis & aliis Clericis Ecclesiæ Mediolanensis, demum ita statuit: Volentes autem ut quod omnibus imminet ab omnibus comportetur, discretioni tuæ per apostolica scripta precipiendo mandamus quatenus predictis Ordinariis ad tuam præsentiam convocatis, nisi per speciale privilegium apostolicæ sedis à præstandis procuracionibus ostenderit se immunes, etiamsi longissimo tempore procuracionis obsequium non impenderint, cum in talibus sibi præscriptio locum nequeat vendicare, ipsos ad procuracionis sarcinam ordine debito subeundam appellatione remota teneri decernas.

VI. Quia verò Legati interdum excedebant modum sibi præscriptum, immo exigebant procuraciones ab iis etiam quos non visitabant, idem Innocentius huic malo mederi cupiens constitutionem edidit in Concilio Lateranensi anno MCCXV. in hunc modum: *Procuraciones quæ ratione visitationis debentur Episcopis, Archiepiscopis, vel quibuslibet aliis, etiam apostolicæ sedis Legatis aut Nuntiis, absque manifesta & necessaria causa nullatenus exigantur, nisi cum personaliter visitationis officium impendant; electionum & personarum mediocritatem observent in Lateranensi Concilio constitutam. Hæc quidem rectè & ex ordine Innocentius, & secundum jus ab ipso stabilitum in epistola ad Episcopum Slefvicensem in Dania. Sed quæ sequuntur in eadem constitutione Concilij Lateranensis, omnino evertunt ea quæ præcesserunt. Nam cum decrevisset ne quis ab Ecclesiis exigeret procuraciones, nisi cum personaliter visitationis officium impenderet, statim illud speciali privilegio indulget Legatis, ut si necesse sit eos alicubi moram facere necessariam, procuraciones recipiant etiam ab illis Ecclesiis quas non visitaverint. Subdit enim post ea quæ superius descripta sunt: *Hoc adhibito moderamine circa Legatos & Nuntios, ut cum oportuerit eos apud aliquem locum moram facere necessariam, ne locus ille propter ipsos nimium aggravetur, procuraciones recipiant moderatas ab aliis Ecclesiis vel personis quæ nondum fuerunt de suis procuracionibus aggravate, ita quòd numerus procuracionum numerum dierum quibus moram hujusmodi fecerint non excedat, & cum aliqua non suffecerit per se ipsam, due vel plures conjungantur in unum.**

VII. Huic juri is color quaesitus, ne loca in quibus Legati moram traxerint longiorem, nimium propter ipsos aggraventur. Tum itaque licere Legatis decernit Innocentius procuracionem exigere ab Ecclesiis quas non visitaverint. Scio ingens esse dif-

Innoc. III. lib. 1. epist. 118. & cap. Cùm instantia. De centibus.

Vide Petrum Paulum Paris. in cap. Accedentes. & in cap. Cùm ex officio. De præscriptionibus.

Innoc. III. lib. 1. epist. 169. & cap. Accedentes. De præscriptionibus.

crimen inter majestatem Legatorum illius temporis & sacram Episcoporum auctoritatem, nostrique officij non esse ultimorum temporum mores refingere ad exemplum antiquorum. Attamen si licet heic componere Episcoporum in synodo Triburienfi congregatorum constitutionem cum constitutione illa Concilij Lateranensis, erit unde cisalpinis Episcopis gratulari possimus, qui negligentia & avaritia coarguerunt Episcopos visitationem paræciarum suarum non peragentes & tamen ab eis exigentes pretium mansionum, ut tum dicebant, sive procurationum. Hæc sunt verba canonis Triburienfis: *Delata est coram sancta synodo querimonia plebium, eo quod sint quidam Episcopi nolentes ad predicandum vel ad confirmandum suas per annum parochias circumire, qui tamen exigunt ut mansiones quibus in processione uti debuerant, aliquo pretio redimant qui parare debent. Quæ duplex infamia negligentia & avaritiæ sanctæ synodo magno fuit horrore. Statuerunt itaque ne quis ultra exerceat id cupiditatis ingenium, & ut sollicitiores sint Episcopi de suis gregibus visitandis.* Ista statuebantur anno Domini MCCXCXV. id est, trecentis & viginti annis ante Concilium istud Lateranense.

VIII. Antiquitus ergo pecunia non exigebatur pro procuratione. Dein factum est ut Legati, quò se minùs graves & onerosos exhiberent provincialibus, nomine procurationis certam pecuniæ summam exigerent ab Ecclesiis intra legationis suæ terminos constitutis. Testatur istud de Ottone, quem anno MCCXXV. Honorius III. in Angliam miserat, Matthæus Parisius, his verbis: *Tunc idem Otto cepit ab omnibus Ecclesiis Angliæ conventualibus, nomine procurationis, duas marcas argenti.* Delusum porrò fuisse Ottonem, & clitelis vacuis ab Anglia recessisse confusum, tradit idem Parisius ad annum MCCXXVI. Eodem anno cum magister Otto Domini Pape Nuntius tempore quadragesimali ad Northanbumbriam profecturus, & procurationes desideratas exacturus, Northamptonam usque pervenisset, venerunt ad eum, Cantuariensi Archiepiscopo procurante, literæ Domini Pape, in quibus continebatur expressum ut statim visis literis Romam veniret, ejus potestate penitus enervata. Obliquo igitur oculo literis inspectis, demisso vultu eas projecit in ignem; atque illico proposito mutato, clitelis vacuis ab Anglia recessit confusus.

IX. Alius ejusdem nominis Legatus Otto Tituli sancti Nicolai in carcere Tulliano Diaconus Cardinalis, qui in Angliam venerat à Rege Henrico III. vocatus, regnum illud ducentem artibus concussit anno millesimo ducesimo trigesimo nono. Referen-

da sunt autem verba Matthæi Parisij, qui ista describit: *Per idem tempus convenerunt omnes Episcopi Londinum, pridie scilicet Calendas Augusti, de oppressionibus Ecclesiæ Angliæ tractaturi. Exigebat enim Legatus, post quotidianas exactiones, procurationes. Cui, habito consilio, responderunt Episcopi communiter, quod toties bona Ecclesiæ exhausserat Romana importunitas quod nullo modo amplius tolerarent. Exhibeat vos qui inconsultè vos vocavit. Agit iterum infrà Parisius de isto conventu; additque Legatum, cum talem in multis constantiam videret, ad humilitatem religiosorum se convertisse, & ab eis pecuniam non minimam extorsisse nomine procurationis.*

X. At non propter hos rumores destitit Otto à consilio corrogandarum pecuniarum. Anno namque sequenti mandata dedit ad Episcopos & Archidiaconos uti curam gererent in suis quique locis exigendarum procurationum, eo colore quæsito, quòd ei mora longior esset facienda in Anglia, æquum porrò non esse ut propriis sumptibus suis aliena negotia perageret. Recitat ista idem Parisius. *Legatus interea, inquit, sui non oblitus, nummos & redditus non segniter sibi rapuit; procurationesque sibi dari compellens, miscebat Episcopis & Archidiaconis districta mandata, circa festum Annunciationis beate Mariæ, in hæc verba.*

Otto miseratione divina &c. discreto viro illi Episcopo, vel Archidiacono, salutem. Cum necesse habeamus de mandato Summi Pontificis moram trahere longiorem, nec possimus propriis stipendiis militare, discretioni vestre qua fungimur auctoritate mandamus & quæsumus ut procurationes nobis debitas in episcopatu vel archidiaconatu vestro colligi faciatis nostro nomine diligenter, eas quam citius poteritis nobis transmissuri, contradictores per censuram ecclesiasticam compefcendo. Provisò quòd qualibet procuratio summam quatuor marcarum aliquatenus non excedat. Et ubi una Ecclesiæ non sufficiet ad procurationem hujusmodi habendam, duæ pariter unam solvant. nimirum juxta constitutionem Innocentij III. in Concilio Lateranensi.

XI. Cùm verò idem Otto nullum neque finem neque modum faceret rapacitati, & à monachis Cisterciensis ordinis, quos privilegia Pontificum Romanorum immunes reddiderant à procuratione Legatorum, procurationes exigeret pecuniarias, victualibus non contentus, ij querelam suam adversus illum deferentes ad Gregorium IX. Papam, literas, ut ait Matthæus Parisius, eidem Legato sub hac forma reportarunt.

Gregorius Episcopus &c. Legato Ottoni &c. Licet tibi, si bene meminis, nuper direxerimus scripta nostra ut liceat tibi de monasteriis Cisterciensis